



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//  
Canonicvm, Libri Qvatvor**

**Lancellotti, Giovanni Paolo**

**Basileae, 1566**

xviiij. De Officio Primicerij, seu Cantoris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

Ecclesiæ Custodem monet, vt A det operâ, ne in sacratio sancta Eucharistia vnquam desit, quæ ægris propinari valeat. Ægrotantium quoque, & eorum ex Diœcesi, qui ad ciuitatem veniunt, hanc curâ gerit, vt præstò sint eis petentibus sacerdotes, quibus possint crimina fateri, ne sine Sacramentis Penitentia, & Eucharistia, animam exhalent: omnia deniq; eius officij provisione expectant, quæ sacerdotum ministerio perficiuntur, his tamen exceptis, quæ prohibita nominatim sunt: quare ad eum spectabit fontium benedictio, infirmorum sacro oleo perunctio: pœnitentis ægri, consulto prius Episcopo, reconciliatio: idem cæteris sacerdotibus pœnitentiam iniunget, horas dicendis officijs partietur, sacrisq; diebus, & præsertim Deo dicatis, aut ipse missam solennè dicet, aut alij hoc munus delegabit: item Christianis efficiendis, infantibus baptizandis, & ad succurrendum nihil à sacerdotibus sine Archipresbyteri fiet præcepto.

Archipresbyteri verò officium illius, qui municipia, aut rura colat, & regat (qui & Decanus dicitur) est, curam habere laicorum, & presbyterorum, qui Ecclesias minores Archipresbyteratui subiectas, administrant, grauiaque delicta, si quæ inciderint, Episcopo significare:

nihil tamè audeat sibi arrogare contra ea, quæ ab Episcopo fuerint decreta.

Est tamen sciendum, quòd tam is Archipresbyter, quàm Urbanus, parèt Archidiacono: a c. p. & tot. tit. extr. co. & vtrumque presbyterum esse oportet<sup>b</sup>. b c. p. de acta. & qual.

### DE OFFICIO PRIMICERIJ, seu Cantoris,

#### TITVLVS XVIIII.

Primicerius, qui & alio vocabulo à quibusdam appellatur Cantor, seu Præcentor, Archidiacono subest, quemadmodum etiam Archipresbyter: curamq; hanc præcipuam gerit, vt Diaconis docendis, reliquisque gradibus & ordinibus Ecclesiasticis incumbat, & iuxta consuetudinem Diaconis præscribat lectiones, quæ ad nocturna officia clericorum pertinent<sup>c</sup>. Eiusdem est præfigere, qua hora signum Campanæ peluis tinnitu officijs celebrandis dari debeat, & in eis per clericos munia diuidere. Item ordinem et modum canendi in choro præfigere, pro solennitate & tempore, & si qua re Basilicis sarcindis opus esse viderit, sacerdotem monere. Ipse Epistolâs Episcopi pro diebus ieiuniorum sacerdotibus parrochiis per ostiarios reddi curabit: clericos, quorum errores cognouerit, idem coërcebit: quos

Ff



verò ipse coërcere non valebit, eorum commissa Episcopo re- teget. Basilicarum ipse ponet custodes, & tabulam (quam matriculam vocant) ipse disponet: eo autem absente hæc curabit, qui illi lege, vel eruditione proximus fuerit<sup>a</sup>.

<sup>a</sup> c. perlectis. §. ad primicerium. 25. dist.

## DE OFFICIO SACRISTÆ, & Custodis,

### TITVLVS XIX.

**S**acrista, seu quod idem est, Thesaurarius, sacra vasa, Ecclesiasticas vestes, & totum Ecclesiasticum thesaurum, quæq; ad Luminaria, seu cerea, seu oleo madentia, pertinent, custodire tenetur<sup>b</sup>. Ipse ostiarium Basilicarum constituit, thus incendendum præparat, curam Chrismatis suscipit conficiendi, & Baptisterij instruendi, & Luminarium in sacrario, & sacrificijs præparandorum<sup>c</sup>. Subest autem, vt suprâ diximus, Archidiacono.

<sup>b</sup> d. c. perlectis. §. ad thesaurarium. c. pen. extra. eod.

<sup>c</sup> d. §. ad primicerium.

Custos verò Ecclesiæ is dicitur, cui ea, quæ Ecclesiæ competunt, custodienda traduntur: & cum multa ad eum spectent, quæ ex Sacristæ officio iuxta diuersam consuetudinē videntur esse, inferior tamen Custos est Sacrista: & hæc propria ipsius sunt munera, vt horarum Canoniarum signa det tintinabulorum pullatione, Archidi-

**A**cono iubente: cui cum sub- sit, in omnibus parere tenetur. Palia, vel lintea altaris, omniaq; Ecclesiæ utensilia perpetua custodia seruare debet, accendendis, vel extinguendis lampadibus vigilem se præbere, ne aut supra modum ardentes nimium olei absument, aut minùs illucientes obscuriorem Ecclesiam relinquant. Diligenter etiam curet, ne thuris vnquam sit inopia, atque vt panis & vini ad missæ sacrificium omni tempore copia suppetat, omnèq; oblationes, & eleemosynas, seu decimas Archidiacono consentiente (dum Episcopus abest) fratribus diuidat. At si his exequendis custos minùs vigilem se præstiterit, erit ab Archidiacono obiurgandus, vt se vtrò ipse corrigere velit: sin nihil Archidiaconi castigatio profuerit, Episcopus ab Archidiacono monitus, alio in locum eius substituto eum extrudabit.

Hi ergo tres, de quibus proximè diximus, Triumviri sunt, quibus tanquam tribus validissimis columnis fulcitur Ecclesia, ipsiusq; nititur salus, scilicet Archidiaconus, Archipresbyter, & Custos. Quare nemo, nisi optimus, idèq; vigilantissimus, ad hæc officia est admittendus, ne qua negligentia, aut solertia in Dei Ecclesia notari possit<sup>d</sup>.

<sup>d</sup> To. tit. xxix. cod.

De